

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput IV. De anima piae Ysentrudis inclusae.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

videbatur sibi ipse Rex gloriæ, virtutum sponsus, accedens Deo Patri, offerret omnia sua divina opera, orationes, labores et passionem sanctissimæ humanitatis suæ, cum gloria suæ divinitatis excellentissimæ, in augmentum gloriæ et gaudii novæ sponsæ suæ. Dehinc beata Virgo, Mater sponsi virginæ gloriæ, accedens, sacrificavit omnia dona, gratias et virtutes sibi collatas, in augmentationem gloriæ sponsæ Filii sui. Deinde Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, singuli quique Ordines Sanctorum accedentes, eadem faciebant. Cum vero sacrosancta offerretur hostia, apparuit a parte Orientis lux quædam mira et ineffabilis, quæ videbatur significare gloriam divinitatis, in qua rapta est beata illa anima; ibique percepit illam felicissimam de qua supra dictum est communionem, et veram ac dulcissimam Dei associationem et fruitionem, omniumque laborum et dolorum plenam et superabundantissimam remunerationem, de qua magis credere quam cogitare aliquid, vel dicere potest cor humanum.

Christus
et Sancti
pro animæ
offerunt sua
merita.

In gloriam
post Hostiæ
oblationem
rapta est
anima.

CAPUT IV.

DE ANIMA PIÆ YSENTRUDIS INCLUSÆ.

FELICIS memoriæ Ysentrudis inclusæ animam etiam hoc modo ad Dominum transisse cognovit. Videbatur enim sibi quod omnes Ordines Angelorum in ejus gloriam et honorem eam obsequendo præirent, eo quod omnium similitudinem et societatem quadam speciali dignitate obtineret. Angelicis namque spiritibus coæquabatur in charitativo et humili obsequio, quod omnibus ad se venientibus exhibebat.

Angelorum
ordinibus
pia inseritur
anima.

Archangelis vero in Dei familiaritate et virtutibus, quia in omnibus bonis se fortiter exercuerat, et virtuosis exemplis, imo et Dei accensa zelo, correptionibus multos ad Deum convertebat. Item aliis tribus Angelorum Ordinibus similis inventa est, quia fortis et potens contra dæmones et vitia fuit, et Dei imaginem, quam in se immaculatam repræsentabat, tam in se quam in omnibus hominibus verebatur et diligebat, et quia intenta et devota oratione Dominum diebus ac noctibus adorabat. Summis quoque Angelorum Ordinibus cœqualis inventa est, tum propter deliciosam et amœnosam Dei in ea requiem, tum propter cognitionis Dei in ea plenitudinem, tum propter amoris præcipuum in ea fervorem.

Triplex
præmium.

Beata igitur Maria Virgo et beatus Joannes Evangelista, animam ejus ante thronum gloriæ præsentabant. Quam Dominus Jesus Christus inter amplexus suos amantissime suscipiens, et ante conspectum Dei Patris statuens, in honorem sponsæ suæ dulciter decantabat : « *Hæc est quæ nescivit thorum in delicto*, etc. Hæc est quæ toto corde et totis viribus me dilexit ; Hæc est quæ pura mente mihi adhæsit. » In corona quoque sua Christi passio, quam valde diligebat, et amor et castitas speciali dignitate supereminebant. Similiter in vestibus ejus hæc tria excellere et omnem decorem ejus visa sunt perlustrare.

CAPUT V.

DE ANIMA B. DE BAR SANCTIMONIALIS.

ITEM cum Religiosa quædam persona agonizaret, vidit Dominum Jesum Christum ibi præsentem, et tenentem linteam candidissimum ante os infirmæ, quasi in eo animam